



Rabanus Maurus natione Germanus fuit. natu-
rus est enim in ciuitate Fuldensi, atq; à pue-
ris in bonis literis educatus fuit. Inter alios audi-
tor fuit Alcuini Anglici præceptoris Caroli Ma-
gni. postea adhuc iuuenis in monasterio Fulden-
si monachum induit. ubi scribendo, legendo, & di-
sputando tales se præstitit, ut quartus eius loci ab-
bas omnium consensu electus fuerit. Ibi ouibus si-
bi commissis uerbo & exemplo uiginti quatuor
annis præfuit, & penè infinita scripturarum opu-
scula composuit. Erat enim in diuinis scripturis e-
ruditissimus, & in humaniorib. literis optimè in-
stitutus, ita ut philosophus, Rhetor, Astrono-
mus, Poeta, & Theologus diceretur. Cui (ut Trithemius testatur) nec Italia si-
milem, nec Germania æqualem peperit. Scripsit etiam in omnes & singulos
sacrarum literarum libros eruditos commentarios, Naturam uniuersalē ex-
plicauit, & Computum Ecclesiasticum ordinauit. Id autem cum magna dili-
gentia præstaret, quidam ex monachis ipsum odio prosequi cœperūt, calum-
niantes eum quod intempestiis studijs operam daret, atq; monasterij bona
& iura negligeret. propterea improbitate eorum Rabanus offensus, cum in-
gratis hominibus diutius esse noluit, uerū monasterio relicto, sese ad Ludo-
uicum Cæfarem Caroli Magni filium recepit. qui etiam ipsum liberaliter su-
fcepit, & diu apud se retinuit. Cum autem postea monachos sui facti pœnire-
ret, atq; per legatos ab eo peterent, ut in monasterium rediret, & suum offici-
um reciperet, ipsis assentiri noluit, & apud Imperatorem permansit.